



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ss. Martyrvm Crvciatibvs Antonii Gallonii Rom. Congregationis Oratorii Presbyteri Liber

Gallonio, Antonio

Romae, 1594

De laminis igneis, & facibus, atque ardentibus lampadibus. Capvt Sextvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10704

*De laminis igneis, & facibus, atque ardentibus
lampadibus.*

CAPVT SEXTVM.

Quamuis Gentes, in Christi contemptum, flagellis, vngu-
lisq. & consimilibus (vt cap. præcedenti dictum est) vtri-
usque sexus Christianos in equuleo tortos, dilaniari, extendiq.
ad quartum vel quintum foramen iussissent; non tamen idcirco
eorum rabies explebatur: vnde eueniebat, vt sæpissime super il-
lorum recentiora vulnera vel viam calcem, vel liquens plum-
bum, aut oleum feruens, vel aliud simile perfundi facerent, vel
testaceis fragmentis eadem dilatari, aut textis ex pilis confectis
valde attreri, confricariq. mandarent; vel denique laminis can-
dentibus, facibus, atque ardentibus lampadibus eisdem sic ma-
le affectos miserandum in modum torreret decernerent. O felices
illorum temporum Christianos! his siquidem cruciamentis, Idol-
olatræ nescientibus, se ipsos acceptabiles viuasq. hostias Deo
viuenti, non sine ingenti lætitiâ, offerebant. Tractabimus igitur
hoc capite de tribus hisce adurendi instrumentis; & primum de
laminis igneis, deinde de facibus, postremo de lampadibus ar-
dentibus.

De laminis ardentibus.

Mentio fit de laminis ardentibus a Plauto Asinar. his verbis:
Stimulos, laminas, crucesq.] a Cicerone in Verrem actione 7.
Quid enim, inquit, cum ardentès laminæ, ceteriq. cruciatus ad-
mouebantur?] ab Horatio epistolarum lib. 1. epistola ad C.
Nummionium Vallam 15. vbi sic ait:

Scilicet ut ventres lamina candente nepotum?

Diceret vrendos correctus Menius idem.]

a Cypriano de laude martyrii: Corpus nâque (eo loco ait) ex-
tentum candentes stridet ad laminas.] a Prudentio in Vincentij
martyris hymno 5. sic:

Stridensq. flammis lamina.] &c. & in Roman. hymno 10.

S 2

Nec

*Immanitas Gort-
itium in sanctos
martyres.*

*Calx, & plumbis,
& testacea fra-
gmenta in san-
ctorum carni-
ficina.*

Nec iniusta laminis ardet cutis.]

& a Victore de persecutione Vuandalica lib. 1. Tūc etenim (habet eo loco) nostræ ciuitatis venerabilis Papinianus Antistes candentis ferri laminis toto adustus est corpore.] & alibi sæpe.

*Laserum adustio
inter publicas pœ-
nas re. enseitur.*

Lamina quid.

*Bractea in quo
differeat a lami-
nis.*

Hoc cruciatus genere Acta sanctorum martyrum conferta & plena sunt, meminitq. eius frequentissime Eusebius, speciatim histor. lib. 5. cap. 1. & 3. & lib. 8. cap. 3. Porro adustiones laserum inter publicas pœnas l. 1. C. de emendat. seruor. recensentur.

Erat autem lamina (vti aliqui ex citatis auctoribus, & quam plurimæ sanctorum martyrum res gestæ innuere videntur) metalli cuiusuis frustum ductum magis in longitudinem, quam in latitudinem, bractea crassius. bractea quippe in hoc a lamina differt, quod illa tenuior est, suaq. spōte plicabilis, ac crepitans; lamina vero crassior, & crepitum non edit: ex ea namque armatura conficitur, & incensa homines olim torqueri solebant. Admouebatur vero huiusmodi ferri frustum igne calefactum nudis sanctorum martyrum, vel noxiorum hominum carnibus, & tam diu ibidem detinebatur, donec eas immisericorditer combussisset. Hoc martyrij instrumento cruciati fuere gloriosissimi Christi milites Laurentius, Dioscorus, Bassus Episcopus, Vincentius, Martianus, Parmenius, Helimenes, Chrysolitus, Lucas, Mutius, Hermagoras, alijq. multi.

Ad hæc Theatr. crudel. hæret. nostri temporis pluribus docet Catholicos etiam hoc tempore ab Huguenotis & Calvinistis laminis igneis fuisse adustos.

De facibus, quibus sancti martyres adurebantur.

De his facibus sermo habetur in diuersis sanctorum rebus gestis, nominatim Sabæ ductoris militum a Rom. Martyrologio relatis 8. Kal. Maij; Eulaliæ virginis, Emeritensis a nobis in historia nostra SS. Virginum externarum, Barbaræ virginis a veteribus manuscriptis nostræ bibliothecæ, & a Surio tom. 6. Prima a Petro lib. 5. cap. 99. & a codicibus nostræ bibliothecæ manu exaratis; Venantij a Petro etiam lib. 8. cap. 12. Sabini a Su-
rio

rio tom. 2. & Agathangeli a Metaphr. Suriij 1. sub S. Clementis Ancyrae Episcopi inscriptione.

Duplicis generis hæc faces apud veteres extitere : quædam *Faces plurimum generum.* confectæ ex intimioribus crassioribusq. partibus illarum arborum, quæ resinam ferunt, cuiusmodi sunt picea, teda, lariz, & pinus. meminerunt harum antiqui scriptores, Varro a Nonnio Marcello relatus *ἡρόντοσιδισσὸν κάλαρον* : confluit mulierum tota Roma; quæ noctu fieri initia solita etiam nunc pinea fax indicat, & sexagesi.

Adest fax inuoluta incendio.]

Et de vita Populi Romani lib. 2. Cum a noua nupta ignis in face afferretur, de foco eius sumptus fax ex pinu ablata esset, ut eam puer ingenuus afferret.] hæc ex Varrone Nonius. De iisdem etiam Virgilius Georg. 1.

Ferro faces inspiciat acutas.]

vbi per faces, tedas intelligunt expositores. Et Aeneidos 7.

Sic effata facem iuueni coniecit, & atro

Lumine fumantes fixit sub pectore tedas.] & demum eod. lib.

E castis reddent altaria tedis.

Cicero pro Sexto Roscio Amerino: Agitari, & perterreri furiarum tedis ardentibus.] & in L. Pisonem: Ut in scena, P. C. videtis homines consceleratos impulsu deorum terreri furiarum tedis ardentibus.] & alibi sæpe. Præter hos commemorat etiam de eisdem Plinius lib. 16. cap. 10. pluribus verbis; Suetonius in Caligula cap. 13. cum ait: Tamen inter altaria, & victimas, adentesq. tedas.] & in Nerone cap. 34. Sæpe, inquit, confessus exagitari se materna specie, verberibus furiarum, ac tedis ardentibus.] & hæc de primo.

Alterius vero generis faces ex contortis funiculis, cera, aut pice circumdatis fiebant. harum fidem faciunt Virgilius Aeneid. 1. his verbis:

Et noctem flammis funalia vincunt.]

Cicero lib. de senect. Delectabatur cereo funali.] & lib. de Officijs: Omnibus vicis statuæ factæ sunt, & ad eas thus, & cerei.] Valerius Maximus lib. 3. cap. 6. de Caio Duellio: Epulaturus erat ad funalem cereum, præeunte tibicine.] Martialis lib. 14.

Hic

Hic tibi nocturnos præstabit cereus ignes.]
De utrisque etiam Plutarchus in Cicerone: Funalia præterea per
urbis vicis elucere, lampades, faces, tedæq. in foribus figi.]

*Facibus uteban-
tur SS. martyres.*

*Apud Surium
tom. 6.*

His igitur explicatis, dicimus, utriusque generis facibus, hoc
est, funalibus, & tedis, fuisse Christianos a Gentilibus semiustu-
latos. De tedis testes sunt Acta sanctæ Barbaræ virginis nuper
citata: namque ubi alij scripsere Barbarâ facibus fuisse adustam,
Metaphr. tedis eam excruciatam fuisse, memoriæ tradidit; sic
enim scriptum reliquit: Accensus Præses ad maiorem iracun-
diam, & non valens se continere, iubet ijs qui aderant, ferreis pe-
ctinibus latera virginis scindere, & tedis igneis membra iam la-
cerata vrere.] hucusque res gesta.

Teda, quid.

*Facibus ex tedis
magis utebantur
antiqui.*

Præterea tedæ, sicuti & funalia, erant temporibus illis valde
in usu, ut prænotati auctores indicare videntur, & ratio ipsa con-
firmat. Siquidem teda redundantior humore est alijs arboribus
resinam ferentibus, parcius liquidiorq. quam picea, flammisq.
(ut inquit Plinius) & lumini sacrorum gratior. Faces igitur ex te-
da confectæ, erant antiquis magis usitatæ, quam reliquæ simi-
lis generis.

*Facibus ab hæ-
reticis cruciantur
Catholici.*

Hoc etiam tormenti genere (ut tradit Theatr. crudelit. hæ-
ret. nostri temporis) affliguntur Catholici in religionis nostræ
odium ab Huguenotis, ut ibidem videre poteris.

De lampadibus ardentibus.

Sermo fit de lampadibus ardentibus (quas quidam, quia ge-
nus earum tantummodo considerant, cum facibus confundunt)
in sanctorum martyrum Actis, videlicet Theophili a veteribus
manuscriptis recitatis, & a Surio tom. 1. Dioscori a Petro lib. 5.
cap. 11. Felicis, ac Fortunati eius socij a Mombrith. tom. 1. Pan-
taleonis a codicibus tum nostris, tum aliorum manu exaratis, &
a Surio tom. 2. Genesij a veteribus manuscriptis, & a Petro lib. 7.
cap. 110. Regina virginis a Mombrithio tom. 2. Theodori pre-
sbyteri a Romano Martyrologio 10. Kal. Nouembr. Alexandri
Episcopi a Petro lib. 8. cap. 102. Naboris a veteribus nostræ
bibliothecæ manuscriptis, Parmenij & sociorum a Petro lib. 4.
cap.

cap. 79. Hermagoræ Episcopi a codicibus item nostris manu exaratis, Mennæ a Metaphr. Suriij 6. & demum Victoris & Coronæ a veteribus nostræ bibliothecæ manuscriptis, a Petro catalogi lib. 4. cap. 168. & aliorum innumerabilium martyrum.

Reuocantur lampades (si fides præstanda est quibusdam, quæ hic Romæ in antiquis marmoribus sculptæ conspiciuntur) ad genus facis: fiebant autem hoc modo.

Lampades quid essent.

Desumebantur primum vasa quædam lata vnius palmi longitudinis, vel aliquantulum maioris, quæ deinde a summo ad arctiorem formam paululum præposteræ peruersæq. pyramidis instar contrahebantur, atque adstringebantur. Erant autem vasa vel terrea, sicuti indicant illa quæ ex ruinis huiusce vrbs nonnumquam eruuntur; vel ferrea, veluti Columella innuit lib. 12. cap. 18. Postea vero vasa hæc hastulis quibusdã quadratis & simul colligatis septa, quæ ad vasorum similitudinem & ipsæ a summo paulatim adstringebantur, igne flammam emittente repleri solebant. Porro has hastulas, si ad ea, ad quæ lampades vsui erant, animum referamus, intelligemus quinque, aut sex palmis plus minusve extitisse oblongas.

Ceterum hæc sic a nobis ex antiquorum exemplis descripta, lampades, & non faces, id est, tedas, aut funalia, fuisse, probatur multis modis. Primo, quoniam prædictis in marmoribus conspicitur, ibi flammam vehementiorem incipere, vbi hastulæ desinunt: non ergo prioris generis faces erant, sed alterius, nempe lampades; nam si fuissent faces primi generis, hastulæ, quæ manubrij loco ibidem inerant, cum lignæ essent, fuissent absque dubio ab igne illis vasis contento combustæ. Ad hæc, neminem videmus, qui totos arduentes cereos in candelabris figat, sed partem dumtaxat eorum, vt sic facilius ardere, consumi, possint, & prælucere, vbi iacent, clarius.

Rationes pro lampadibus.

Dicit fortasse quispiam, nihil ob stare, quin fuerint primi generis faces; hastulæ siquidem ideo non comburebantur, quia ferreæ, & non lignæ erant. Sed hoc verum esse nulla ratione potest: tum quia lampadibus utebantur antiqui ad torrendos reos in equuleo leuatos, aut sublimè appensos, aut columnis vel stipitibus ligatos: leues igitur, & non graues, vt carnifices eas

præ

præ manibus cōmodius habere possent, censendæ sunt extitisse: quocirca non ex ferro, sed ex ligno effectas fuisse, fateri oportet. Confirmatur deinceps vngularum exemplo; quæ licet nullius ferè pōderis essent, tamen hastulas leuissimas sibi affixas, ad damnatos homines facile excrucianos, habebant.

Si adhuc alius diceret, fuisse faces primi generis, & hastulas ligneas habuisse, quæ ob vasa aliqua terrea, vel ferrea, in quibus funalia affigebantur, aduri nequibant. At neque sic affirmari licet: tum quia fuissent ibidem prædicta vasa superuacanea; namque primi generis faces, hoc est, tedæ, vel cerei, cum solidæ sint, non indigent vasorum adminiculo; satis enim illis fuisset, hastulis simul colligatis muniri, atque vallari. Tum etiam quia carnifices, quorum erat reorum carnes ipsis semiuftulare, commodius hoc effecissent facibus extra hastulas stantibus, quam ita intra eas manentibus, vt illis contingebat, ex quibus alterum genus facis descripsimus; sic enim vehementiorē acrioremq. flammam emisissent. Lampades igitur erant, & non funalia, vel tedæ. Corroboratur hoc idem, quoniam, si primi generis faces erant, consequeretur ex hoc, stantibus illis (sicuti diximus supra) secundum omnes illarum partes intra hastulas, vt cito consumptæ fuissent, earum etiam ardor, sine mora ferè aliqua repressus & restinctus remansisset; quod profecto præter Gentilium opinionem extitisset, quorum præcipuum ardensq. studium fuit, Christianos homines hostilem in modum, omni prorsus miseratione remota, excruciare.

Cum igitur apud veteres nulla alia extiterint facis genera, præter cereos, tedas, & his similia, ac lampades; fateri opus est, faces, quas superius ex antiquarum exemplis descripsimus, cum nec tedæ, nec funalia fuerint, lampades fuisse. In hanc quoque sententiam scribere videtur Virgilius Aeneid. 9. dum sic cecinit:

*Princeps ardentem coniecit lampada Turnus,
Et flammam affixit lateri, quæ plurima vento
Corripuit tabulas, & postibus hæsit adhesis.]*

De modo, quo martyres lampadibus adurebantur.


Eodem prorsus modo SS. martyres lampadibus torrebantur, quo vngulis, pectinibus, & vncis excarnificabantur. dant huius rei testimonium multa ex Actis nuper citatis, & ea quæ a nobis cap. 1. de columnis, arboribus, atque stipitibus tractata sunt.

De cruciatibus, quibus martyres de equuleo depositi afficiebantur.

Nouissime obseruari oportet, Christi fideles de equuleo depositos, prædictis iam instrumentis aut excruciatos fuisse, aut continuo ad quartum vel quintum foramen cruribus diuaricatis diftentos, vt cap. 3. diximus, aut nudos super testaceis fragmentis diu volutatos, aut etiam quandoque oleo ebullienti, vel consimilibus perfusos; quæ omnia & singula ostendunt sanctorum martyrum Acta, Vincentij nimirum a Mombritio relata tom. 2. Ianuarij a Petro descripta catalog. lib. 6. cap. 85. Pelagij ab eodem auctore lib. 7. cap. 120. Felicis ac Fortunati a Petro similiter catalogi lib. 4. cap. 167. Alijs etiam supplicijs legimus eos, de equuleo depositos, affectos fuisse, quorum sæpissime in Actis sanctorum martyrum fit mentio. Vide, si libet, Acta S. Mennæ a Suario ex Metaphr. tom. 1. recitata. Et de facibus, laminis, atque lampadibus hætenus.

Martyres de equuleo depositi dira patiebantur.

Martyres extendebantur ad quartum aut quintum foramen.




A Martyres torrebantur


B Vel tedis,

C Vel funalibus,


D Aut ardentibus lampadibus, quarum figura etiam in equuleo pag. 95. C. exprimitur.



A. Martinus...
 B. ...
 C. ...
 D. ...
 E. ...
 F. ...
 G. ...
 H. ...
 I. ...
 K. ...
 L. ...
 M. ...
 N. ...
 O. ...
 P. ...
 Q. ...
 R. ...
 S. ...
 T. ...
 U. ...
 V. ...
 W. ...
 X. ...
 Y. ...
 Z. ...



- A* Martyres de equuleo depositi, diuarcatis cruribus, vi ad quartum aut quintum foramen distendebantur.
- B* Aut viua calce, oleoq. ebullienti, & consimilibus persundebantur.
- C* Vel demique nudi super testaceis fragmentis premebantur, voluebanturque.



.

